

Zu den

am 15. und 16. August 1855

abzuhaltenden Prüfungen aller Klassen

des

Königlichen Katholischen Gymnasiums

ZU GLATZ

und

zu der am 18. August

stattfindenden Schluss-Feierlichkeit

ladet ergebenst ein

das

Lehrer-Kollegium.



Inhalt: Annotationes ad duos Horatii locos. — Schulnachrichten.
Beides von dem Director.

Schober

Glatz,
Gedruckt bei Georg Frommann.

Od. L. III. 24.

Intactis opulentior
  Thesauris Arabum et divitis Indiæ
Cæmentis licet occupes
  Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,
Si figit adamantinos
  Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu
  Non mortis laqueis expedies caput.

Omnis hujus loci difficultas in eo sita est, quod summis verticibus adamantinos clavos figere dicitur dira Necessitas; quaeritur enim, qui sint isti summi vertices. Fuerunt qui summis verticibus dativo casu acciperent; totos scilicet infixos esse clavos, ad ipsos vertices usque; capita enim clavorum esse vertices. Alii in ipsis hominum capitibus fixos esse clavos contenderunt, sed utraque haec interpretatio tam inepta est, ut iis refellendis immorari operae pretium non sit. Alii etiam summas fortunas vel fastigia magnitudinis ita significari affirmarunt, quomodo autem ibi Necessitas clavos suos figere potuerit, non docuerunt. Recentiorum editorum plerique Orellium secuti sunt, qui summos vertices aedium fastigia esse dicit; hominem enim illum opulentissimum, qui caementis omne mare Tyrrhenum et Apulicum occupet, necopinantem opprimi a dira Necessitate, quae in culmine aedium clavos suos figat domino veluti acclamans: Huc usque, nec ultra; adest jam tibi terminus fatalis. Hanc imaginem ut poetae animo, quum hoc carmen scriberet, obversatam esse credam, verum ut fatear, a me impetrare non possum. Primum enim nullam video causam, cur statuendum sit, Necessitatem in culmine aedium clavos fixisse, quod quo consilio fecerit, profecto non apparet. Num fortasse ideo fecisse putanda est, ut ne pergeret ille aedificare, an ut mortem sibi jam instare sentiret? At nemini certe in mentem veniet affiirmare, clavos ibi fixos ab eo conspici potuisse, aut omnino putasse veteres, mortem instantem ita unquam praenuntiatam esse hominibus. Accedit quod hic ne de perfectis quidem ædibus agitur, quarum in culmine figi potuerint clavi, sed de aggeribus tantum et molibus, quibus struendis cæmenta in mare demitte-

bantur,[1]) ut fundamenta futuris ædibus jacerentur. Est enim multo clarius indicium animi in omnem ædificandi luxum effusi, quod inesse mihi videtur in verbis, caementis occupare omne Tyrrhenum et Apulicum mare, unde intelligimus eum pluribus ad mare superum et inferum locis simul intentum fuisse insanis substructionibus moliendis, ut villas ibi conderet, quas utrum exædificaverit omnes, an, quod verisimilius est, moriens inchoatas ex parte reliquerit, quaerere nihil attinet, ad loci enim sententiam rectius percipiendam prorsus nihil momenti habet. Ceterum facere non possum quin mirer, Orellium, quippe qui vertices ædium culmina esse dicat, tamen adjicere, totam imaginem egregie illustrari speculo Oddiano apud Vermigliolium (Iscriz. Perugine T. 1 p. 43 Ed. pr.) ubi Atropos, Etrusce Athrpa, severo vultu in eo sit, ut malleo clavum infigat parieti supra caput Meleagri, jamjam morti destinati, ac summam mæstitiam prae se ferentis. Hinc enim rite colligi posse, simile aliquod artis opus, vel etiam locum poetæ græci, eandem imaginem præbentem Horatii animo obversatam esse. Illud tamen probabilius videri; nam vel speculum illud horribilis aliquid habere sublimitatis. Hoc si ita se habere credimus, jam certe non apparet, quomodo etiam de fastigiis aedium cogitare possimus; nam artis illud Etruscæ opus, nisi forte, ut plurima in hoc genere, subditicium est, et recentioribus demum temporibus effictum ex ipso Horatii loco male intellecto, ita potius comparatum est, ut eorum sententiae favere videatur, qui vertices ipsa hominum capita esse contendunt; in quo quamquam audiendi non sunt, minus tamen longe quam Orellius, et qui eum secuti sunt, a vero mihi aberasse videntur. Est enim alia multo simplicior hujus loci explicandi ratio hæc, ut statuamus Horatium ante oculos habuisse antiquum illum morem clavi figendi, cujus mentionem facit Livius l. VII. c. 3 ubi hæc leguntur: Lex vetusta est, priscis litteris verbisque scripta, ut qui prætor maximus sit, Idibus Septembribus clavum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Jovis Optimi Maximi, ex qua parte Minervæ templum est. Eum clavum, quia raræ per ea tempora litteræ erant, notam numeri annorum ferunt, eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum sit. Volsiniis quoque clavos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiae, Etruscae deae comparere, diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat. Ad hunc vetustum morem si et nostrum locum referimus, et apud inferos, ubi etiam urna illa, in qua inerant omnium hominum sortes, esse putabatur, Necessitatem ita ut paribus intervallis distarent, et directo ordine gradatim ascenderent, ad notandos vitae annos ab eo inde die, quo natus erat homo ille praedives, fixisse clavos suos statuimus,

[1]) cf. Od. III. 1, 33 —.

Contracta pisces æquora sentiunt
Jactis in altum molibus; huc frequens
Cæmenta demittit redemtor
cum famulis dominusque terrae
Fastidiosus.


locum in quo cujusque anni clavus fixus erat, recte verticem, supremi autem anni summum verticem vel poetarum more, qui plurali numero pro singulari saepissime utuntur, summos vertices dixeris. Summa enim omnia vertices Romani appellabant, non solum capita hominum, culmina aedium et cacumina montium sed paullo audacius alia etiam e. c. Cicero Tuscul. l. II. c. 9 summos dolores: Nunc nunc dolorum anxiferi torquent vertices.

Neque huic vocis significationi repugnat, quod apud Quintilianum legimus,[1]) verticem esse proprie unde initium sit. Nam et nostri loci accuratius considerati ratio ostendit, non statim ingruisse moriendi necessitatem, quum clavus fixus esset, sed mortem tantummodo eo anno qui tanquam supremus clavo fixo notatus esset, proximam et inevitabilem fuisse; aliter nec metui mortis amplius nec ulli laqueis ejus caput expediendi conatui locus fuisset.

Ceterum, quum ex Livii loco supra laudato satis eluceat, morem illum annos clavo fixo notandi etiam apud Etruscos usitatum fuisse, facile intelligitur, quam verisimile sit, illum etiam artificem qui speculum ab Orellio commemoratum confecit, siquidem vere Etruscum est, eundem morem secutum esse et, ut significaret, supremum adesse vitae annum, scite clavum Meleagri capiti imminentem finxisse. Alia enim saepe eadem in re exprimenda poetis, alia iis artificibus qui rerum simulacris effingendis operam dant, via ineunda est.

---

[1]) Inst. rhet. l. VIII. c. 2.
Secundo modo dicitur proprium inter plura, quæ sunt ejusdem nominis, id unde cetera ducta sunt: ut vertex est contorta in se aqua, vel quicquid aliud in se vertitur; inde propter flexum capillorum pars est summa capitis, et ex hoc quod est in montibus eminentissimum. Recte dixeris hæc omnia vertices; proprie tamen, unde initium est.



Epist. L. II. 1. v. 57.

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.

Queritur in hac epistola Horatius de perverso aequalium suorum judicio, qui veteres poetas non aliam ob causam, quam quod veteres sint, recentioribus praeferant, et immeritis laudibus ornent; adeo enim eos Ennium admirari, ut alterum Homerum esse dicant, ut Naevium ediscant, Pacuvium doctum senem, Accium altum appellent, Afranium Menandri simillimum esse, Plautum ad exemplar Siculi properare Epicharmi contendant.

Ambigitur hoc loco properare quid significet. Eorum opiniones, qui de dicendi genere intelligi volunt aut de Plautinorum numerorum celeritate, satis jam refutavit Lingeus in doctissima disputatione de Plauto properante ad exemplar Epicharmi, quæ praefixa est annalibus Gymnasii Ratiboriensis a. 1827. Recentiores autem Horatii interpretes fere omnes in eo consentiunt, ut hoc verbo significari dicant, motorias esse fabulas Plauti, quippe qui semper, ut alio in genere Homerus, ad eventum festinet, neque unquam in rebus minutis immorando spectatorem retardet. In hac interpretatione ne acquiescamus, haud pauca sunt quae dehortari videantur. Primum enim me non videre fateor, quo jure eadem, quam merito Horatius in epistola ad Pisones v. 148 Homero tribuit, laude ornari possit Plautus, qui non nimis quidem tarde in exponendis fabularum argumentis progredi, ita tamen ea in re versari videtur, ut plerumque justo rerum ordine servato procedat, interdum etiam ea admisceat, quae si abessent, non magnopere desiderares. Properantem igitur ita ut hoc ei merito imprimis laudi detur, nemo certe nisi qui praeconcepta opinione ductus ad ejus fabulas legendas accesserit, Plautum videbit. Accedit quod verbum properare nusquam ita usurpatum invenitur, ut sic nude positum festinare ad eventum significet. Offendo etiam in verbis ad exemplar, si quidem statuendum sit properare hic esse ad eventum festinare more modoque Epicharmi; puto enim tum Horatium dicturum fuisse ad exemplum non ad exemplar Epicharmi; quamquom hoc quidem levius est, gravius autem illud argumentum quod ex comparata utriusque versus sententia repeto; versu enim 57 quum

Afranii togatas Menandri fabulis simillimas antiquariis illis visas esse affirmet Horatius, jam verisimile non est, eum qui æquales suos propterea reprehendit, quod modum excedant in admiratione veterum poetarum, Plauto nihil aliud esse laudi datum dicere quam festinare eum ad eventum, quae sane levis est in tanto poeta et omnium certe bonorum poetarum laus communis. Igitur alia mihi hujus loci explicandi ratio inenunda videtur. In eo autem totius rei cardo vertitur, ut intelligamus, quam ob causam Horatii aequales, quorum is judicium ut perversum vituperat, Plautum cum Epicharmo potissimum comparandum esse putaverint, quod primo adspectu mirum sane videri potest, quum satis constet, fabularum argumenta eum a recentioris comoediae Atticae poetis fere omnia mutuatum esse. Ji qui postero tempore prologos fabulis Plautinis addiderunt, Menandrum, Diphilum et Philemonem nominant, quos Plautus imitatus sit, Epicharmi autem nusquam mentio injicitur, neque ullus praeterea veterum locus exstat, qui suadere videatur, ut Epicharmum a Plauto imitatione expressum esse statuamus. Ne ea quidem quae in prologo Menaechmorum leguntur:

Atque adeo hoc argumentum graecissat, tamen
Non atticissat, verum sicelissat.

nisi vi illata detorseris, ad Epicharmum referri possunt, nam neque de fonte ibi, unde sua hanserit poeta, nec de dicendi genere, sed de loco tantum, ubi res gestae sint, agi ex proxime sequentibus satis apparet:

Atqui hoc poetae faciunt in comœdiis;
Omnes res gestas esse Athenis autumant,
Quo vobis illud graecum videatur magis.
Ego nusquam dicam nisi ubi factum dicitur.

Syracusis autem nati erant Menaechmi fratres; hoc unum restat, unde sicelissare argumentum dici possit, res enim ipsae Epidamni non Syracusis geruntur.

Quod si quis tamen voci sicelissat tantum tribuere velit, ut contendat documento esse videri, argumentum fabulae ex siculo fonte fluxisse, nullo tamen modo satis probare nobis poterit, Epicharmum fuisse illum poetam siculum, quem in Menaechmis secutus sit Plautus.

Adhuc nullum vestigium satis manifestum deprehendimus, unde colligere possimus Plautum Epicharmi opera cognita habuisse, et tanquam exemplaria sibi ad imitandum proposuisse. Lingeus quidem p. 7 locum Hieronymi in epistola ad Pammachium de optimo genere dicendi: „Terentius Menandrum, Plautus et Cæcilius veteres comicos interpretati sunt,“ ad Epicharmum referendum esse putat, sed quum hic Menandro, recentioris comoediae clarissimo poetae simpliciter veteres comici opponantur, rei magis consentaneum videtur de Aristophane cogitare et de aliis veteris comoediae scriptoribus. Sed utut hoc est, tamen non dubito affirmare eos verum vidisse, qui Plautum cum Epicharmo potissimum comparandum esse censuerint; Epicharmum

enim certo scimus mimicum illud genus doricae poesis scenicae, quod Siculis proprium erat, in artis formam primum redegisse et argumento serere coepisse fabulas, quae valde placuerunt, quod vitae communis imagines vividis coloribus expressas exhibebant, et siculo sale[1]) multoque lepore conditae plurimis morum praeceptis et acute dictis abundabant.

Initiis illis poesis scenicae, quibus usus est Epicharmus ad Siculam comoediam condendam, simillimi fuerunt ingenii lusus ethologorum et aretalogorum, quibus Itali omnes, maxime vero Tarentini et Campani delectabantur. Inde postea satura dramatica orta est et Atellana, quae quum populo valde placeret, Plautus, quem non dubito omnium poetarum Romanorum ingeniosissimum appellare, omnem fere artem Atellaniam in fabulas palliatas transferendo novum quoddam genus dramatis vere Romani condidit. Argumenta quidem fabularum a recentioris comoediae Atticae poetis mutuatus in ceteris autem suum ingenium secutus est. Ut in Atellanis certae quaedam personae loquentcs inducebantur, ut Maccus, Bucco, Pappus, Dossenus, aliae, quae cujusvis ordinis vel aetatis hominum, maxime vulgi mores representarent, sic apud Plautum quae occurrunt senum, juvenum, parasitorum, lenonum et meretricum personae ad vitae consuetudinis et naturae veritatem effictae, semper immutabiles, semper eaedem sunt, omnis vitae cultus moresque, quos describit, Romani sunt, et quod poesi Siculae et Italicae maxime vero Atellanis proprium fuisse recte dici potest, ut modo summa verborum licentia et mimica cavillatione lascivirent, omnemque seculi turpitudinem quodammodo nudam misso pudore oculis subjicerent, modo sapientibus virtutis praeceptis gravibusque sententiis redundarent, et hominum vitia acerbe perstricta damnarent, idem apud Plautum tam saepe usuvenire videmus, ut neminem fugere possit, eum deindustria id egisse, ut fabulas suas non optimatium, quibus brevi post Terentius, ingenio longe inferior Plauto, tam valde placuit, sed plebis auribus accommodatas populo Romano commendaret. Idem igitur, quod olim Epicharmum, suo in genere fecisse Plautum, ut iisdem velut elementis usus novum quoddam et populo gratissimum carmen conderet, quum animadvertissent ii quos Horatius tanquam

---

[1]) Multum ingenio valuisse Siculos testis est Cic. in Verr. III. 43 „Nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant.

Orat. II. 54. Inveni autem ridicula et salsa multa Graecorum, nam et Siculi in eo genere excellunt. Quintil. l. VI, c. 3, 41.

Coelius cum omnia venustissime finxit, tum illud ultimum: Hic subsecutus quomodo transierit, utrum rate an piscatorio navigio, nemo sciebat. Siculi quidem, ut sunt lascivi et dicaces, ajebant in delphino sedisse et sic tanquam Ariona transvectum.

antiquarios exagitat, ad Epicharmi laudes eum prope accessisse, id est enim properare [1]) ad Epicharmi exemplar, dictitabant, ut recte sensit scholiastes Cruquii, qui verbi properare significationem explicaturus dicit, esse appropinquare laudi Epicharmi. Cui etiamsi assentimur, nihil tamen est, quod nos cogat ut statuamus, Horatii aequales Plautum Epicharmi imitatorem habuisse; nam exemplar id etiam recte dicitur quod suo in genere perfectum et omnibus numeris absolutum est; potest igitur hoc loco exemplar Epicharmi nihil aliud esse nisi Epicharmus ipse, perfectissimus suo in genere poeta, ad cujus laudes et praestantiam accedere is merito dicitur, qui, quamvis eum imitatus non sit, tamen proximus ei est, quamquam longo intervallo proximus. Hinc etiam intelligimus, nequaquam nimium Plauto tribuisse putandos esse aequales Horatii, cujus auctoritate jam propterea minus ad credendum adducimur, quod causae, quae subactissimi judicii virum in Plauto judicando transversum egerint, satis manifestae sunt.

Quod apud omnes fere populos usuvenire solet, ut a multitudine animorum cultu totaque vitae ratione multum optimates distent, id Romae extremis reipublicae temporibus et sub Augusti imperio tam late patuit, ut duo paene diversi populi iisdem mœnibus contineri viderentur. Dum plebeji patria omnia religiose colebant prisci moris tenaces, a teneris inde annis optimates graecis litteris et artibus instituti et familiari graecorum hominum sonsuetudine usi animos quidem ad humanitatem conformabant, sensim tamen sensimque sibi pulchri speciem quandam effingebant, ad quam quum omnia revocarent, fieri non poterat, quin prae peregrinis patria contemnerent, nam justus iis fere modus jam deerat, quo ea quae ex populi ingenio profecta erant, metirentur. Non est igitur quod miremur, et Horatium, quamquam libertino tantum patre natum, tamen eodem quo nobiliorum et ditiorum hominum filii cultu habitum et a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis penitus imbutum graecis litteris, in dijudicandis veterum poetarum Romanorum operibus aberasse a vero, quod tamen ipsum hunc acutissimi ingenii virum certe effugere non potuisset, nisi alia et gravior quaedam causa, a partium studiis, quae vel maxime mentis aciem praestringere solent, repetenda accessisset. Namque Augusto imperante paullatim omnia sub unius potestatem redacta erant, ita tamen ut veteris reipublicae forma magna ex parte etiam servaretur. Sed quo magis omnes se vana tantum specie ludificari sentiebant, eo altiores in animis radices libertatis amor agebat, eoque magis in mentibus vigebat pristini temporis memoria. Quam ut pedetentim exstingueret, varia tentavit Augustus doctorum inprimis virorum consiliis adjutus, qui suam ei operam polliciti hoc in se munus receperunt, ut animos graecarum litterarum dulcedine delenirent, et levibus quibusdam quaestiunculis de rebus, quae ad litterarum et artium studia pertinebant, propositis occuparent, in varias partes ita distractos a rerum publicarum cura avocarent, et Augusti laudibus praedi-

[1]) cf. Caes. de B. C. II. 39, Proinde ad praedam, ad gloriam properate.

[2]) Cic. de Rep. I. 1. M. Catone quasi exemplari ad industriam virtutemque adducimur.

candis populo magis magisque persuaderent, in illius principatu unicam publicae salutis spem reponendam esse. Horum virorum in numero vel principem locum obtinuisse et de industria id egisse Horatium, ut consilia, quae cum Maecenate Augustus in administranda republica sequebatur, pro viribus adjuvaret, neminem profecto qui scripta ejus attento animo perlegerit, fugere potest.

Ita quum quasi novum quoddam litterarum latinarum genus, quod unius imperio faveret, condi jam cœptum esset, ii qui adversae factionis erant, et quo haec omnia tenderent, probe perspexerant, eo majore studio, quod aperta vi contra niti non poterant, veteres rerum scriptores et poetas, recentioribus consulto neglectis, amplexi sunt, populi in ea re favore et assensu sublevati; is enim, ut ipse Horatius dicit Ep. II. 1, 23 recentia fastidiebat et oderat:

Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, fœdera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum
Dictitet Albano Musas in monte locutas.

Erat sane quod bilem Horatio moveret, quum non solum imperitam multitudinem, sed eruditos etiam homines, veteres illos poetas, eorumque maxime comicos ediscere et arcto stipatos theatro spectare videret,[1]) quorum opera cum recentiorum poetarum scriptis comparata rudia et inculta esse putabat. Hac ira justo longius eum in premendis veteribus poetis abripi se passum esse vel unius Plauti exemplo satis demonstrari potest, cujus numeros et sales in epistola ad Pisones[2]) a Romanis, nimis patienter eos admirantibus, dum immerito laudatos esse dicit, adversarium habet gravissimum, cujus auctoritati certe plus tribuendum est, Ciceronem, apud quem l. 1. de Off. 29—10 haec legimus: „Duplex omnino est jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum, alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum, quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam Socraticorum philosophorum libri referti sunt." Hinc satis apparet, quae cautio adhibenda sit, ne statim Horatii etiam de numeris Plautinis judicio

---

[1]) Epist. II. 1. 60.

Hos ediscit et hos arto stipata theatro
Spectat Roma potens, habet hos numeratque poetas
Ad nostrum Livi scriptoris ab ævo.

[2]) v. 270.

At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales, nimium patienter utrumque
Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

subscribendum putemus. Mihi quidem non minus quam quod de salibus Plautinis tulit, iniquum videtur. Nec potuit non incidere in errorem, quum ad eos metri leges, quas Graecorum vestigia presse secuta aetas Augusta sibi scripserat, in Plauti etiam fabulis aestimandis omnia revocaret, qui vitae usum et vulgaris sermonis consuetudinem, ut debebat in suo genere, vel maxime respiciens in versibus componendis tempora syllabarum cum accentu conciliare studuit, tantaque arte numeros modosque effinxit, ut varietate sua et agilitate ad omnes animi motus exprimendos aptissimi essent. Verum igitur vidisse mihi videntur ii, qui Plautinos numeros laudarunt, persuasum enim habeo, ut aliis in rebus sic etiam in hac parte operis recte dici posse Plautum properare ad exemplar Epicharmi, quem etiam in versibus pangendis naturae ducis magis vestigia, quam severae artis leges secutum esse scimus.

